



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 57. Pugna inter Matthiæ Regis milites & Protestantes in Austria concessumque Religionis exercitium tam Austriacus quam Moravis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

salva Cæsaris & Imperii auctoritate vim Sæc. XVII.
 injustam, si inferretur, a se depellere, A. C. 1609.
 tranquillitatemque publicam stabilire
 possent: Huic autem foederi, quod *Ligam Catholicam* appellabant, subscripserant Maximilianus Bavarix Dux, qui hujus societatis Præfectus designabatur, Moguntinus, Coloniensis, Trevirensis Archiepiscopi Electores, tum Bambergensis, Herbipolensis, Salisburgensis, Aichstettanus Episcopi, præter Austriæ Duces, pluresque alios. Invitabantur quoque Pontifex Romanus, Hispaniæ & Poloniæ Reges & Hetruriæ Dux. Vix ista erant hæc foedera, cum illico utrinque milites per Germaniam, Belgium atque Italiam conscriberentur, omnibus denique ad bellum summo studio paratis.

§. LVII.

Pugna inter Matthiæ Regis milites & Protestantes in Austria, concessumque Religionis exercitium tam Austriacis quam Moravis.

His ita constitutis nondum Protestan- Contin.
 tes in Austria quieverere, sed magno Chytr. p. 145.
 numero in pagis prope Cremsam exercitum contraxerunt, eapropter Matthias Rex Buchemium cum mille quingentis equitibus & tormentis aliquot in civi-
 tatum,

Sæc. XVII. tatum, quibus ab his seditiosis haud pa-
 A. C. 1609. rum periculi imminebat, præsidium de-
 crevit, promulgato simul decima Ja-
 nuarii die edicto regio, vi cuius Ordines pro præstando fidei Sacramento Viennæ ad duodecimam ejusdem Mensis diem comparere jubebantur. Recusabant illi, nisi plena eorum postulatis satisfieret: interim Regiis cum Protestantium militibus de quadam statione, quam hi illis præripere moliebantur, contendentibus, die decima tertia Januarii res ad prælii necessitatem devenit, ubi ex Protestantibus centum & amplius, ex Catholicis longe pauciores fuere desiderati. Re comperta Matthias Rex Viennæ diploma adversus milites Protestantibus merentes promulgari jussit, cunctosque, nisi ante vigesimam primam Januarii diem ex eorum castris, depositis armis, discederent, proscripsit, reosque perduellionis declaravit. Nec propterea tamen Protestantes exercitum suum dimiserunt, sed potius occupato Hallenbrunnæ monte, auctoque suorum numero ter repetita viginti tormentorum displosione Regiis insultabant. Posthæc Moraviæ Senatores ex condicto Viennam ad Matthiam Regem venire, significantes, quod ad auxilia Protestantibus ferenda vehementer sollicitarentur, ipsi tamen ad

ad præcavenda pericula exin oritura Sæc. XVII.
 delectis utrinque arbitris pacem resti- A. C. 1609.
 tuere parati essent, dummodo æquæ
 inirentur conditiones, & concessis qua- *Schlawata*
 tuordecim dierum induciis illi, qui pro- *tom. 2. p. 9.*
 pter sectam captivi hærent, dimitterentur, simulque itinerum transitusque securitati prospiceretur: Annuit eorum petitioni Rex, tandemque sequens transactio Regem inter & Protestantes Ordines die duodecima Martii facta est. I. Religionis exercitio Nobiles, Proceresque passim in arcibus, pagis & ædibus libere pro se suisque fruuntur. II. In tribus Ecclesiis liberum concionandi exercitium relinquatur. III. Officiales ex utriusque Religionis hominibus imposterum a Magistratu & Civibus eligantur, inconsulta etiam Aula. IV. Templum imposterum nullum occludatur. V. Prædicantes a civibus eligantur, & Juramentum fidelitatis Protestantes præstent, non adhibitis Romanæ Ecclesiæ ritibus. VI. Eadem libertas etiam oppidis supra Anisum sitis concedatur. His utrinque firmatis tandem Protestantes die vigesima quarta Aprilis in arce Viennensi Matthiæ Regi fidei juramentum præstitere, displosis belli tormentis in tanti favoris recognitionem, ac memoriam, cujus tamen æterna potius oblivio exoptanda fuisset.

Sæc. XVII. set. Reclamabant quoque, incassum
 A. C. 1609. licet, Leopoldus Archidux, Clesfelius
 Papæ Nuntius, & Episcopus Viennensis, omnesque Catholici, qui tum experiri ac dolere cogebantur, quod humanæ cupiditates nonnisi turbatis Divinis sacrisque ad vota sua pervenire soleant.

§. LVIII.

Ferdinandi Magni Hetruriæ Ducis obitus.

*Gammurini
 hist. Geneal.
 Ital.*

Præter hæc interim, præsentis anni lugubrium numerum augebat decessus Ferdinandi I. Hetruriæ Magni Ducis, qui Cosmi I. Medicæi Filii anno millesimo quingentesimo quadragesimo nono Florentiis natus, decimo quarto ætatis suæ anno Purpuram Romanam induit, quam tamen vigesimo quarto post anno annuente Sixto V. post Francisci Fratris sui obitum rursus dimisit, in ejusdem ditiones ac fortunas successurus. Anno autem Domini millesimo quingentesimo nonagesimo quarto militum suppetias adversus Turcas in Hungariam misit, ac septimo post anno e mentitum Lusitanæ Regem nomine Sebastianum Hispanis tradidit: Princeps erat animi magnitudine excellens, Religione fervidus, ac sollicitus populi sui
 Parens,